



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

communione, aut ingressu Ecclesiæ pro aliquo tempore: vt patet in cap. i. de Sententia excommunicationis, in sexto, & ex supra tractatis disputando de excommunicatione minori, & alia addemus disputatione sequenti.

Vltimo dubitari poterat, an sententia interdicti lati sine legitima causa, atq; adeo iniusta, valida sit. Sed de hac re videantur dicta de censuris in comuni: nulla enim supereff specialis difficultas

SECTIO IV.

Quæ forma seruanda sit in sententia interdicti differenda.

No possunt inquiri: quid pertineat ad substantiam huius formæ; quid vero ad accidentalem solennitatem eius. Circa priorem partem videnda sunt dicta de censuris in comuni, & hic cum proportionem applicanda: nam de substantia huius formæ solum sunt verba, quibus talis censura cum sufficiente specificatione, & determinatione feratur. Nam sine verbis (sub quibus signa æquiuacientia comprehendimus) non potest humanus iudex aliquid operari: per illa vero efficiat operatur, supposita potestate, & aliis requisitis. Quia vero hæc verba practica sunt, & operatiua, & operationes sunt circa singularia: ideo necesse est, vt in talibus verbis sit significatio sufficienter determinata, tum in specie censuræ, tum in indiuidua persona, vel loco, in quem fertur: nam si in hoc maneret incerta, vel indifferens, nihil operaretur. Præter hæc autem nihil aliud, nec certa aliqua verborum forma præscripta est, vt feratur interdictum, sicut de omni censure Ecclesiastica diximus.

Quæri vero potest, an sit necessarium vt hoc verbo *Interdictum*. Quidam enim ita opinantur, vt refert, & ex parte sequitur Maiolus libro 3. de Irregularit. cap. 20. numer. 10. qui nescio quam differentiam in hoc inuenit inter personale interdictum particularis personæ, & reliquæ. Sed ego nullam inuenio, quia non magis est præscripta verborum forma in interdicto generali, quam in particulari: vnde in nullo censetur esse necessarium illud formale verb. *Interdictum*. Sicut in cæteris non est necessarium verbum, *Excommunico*, aut *Suspendo*: imo aliquando fertur censura interdicti per verbum, *Suspendo*, vt de interdicto ab ingressu Ecclesiæ supra diximus: Potest etiam ferri per verbum, *Separo*, *Prohibeo*, vel aliud simile dummodo ex aliis verbis adiunctis, vel ex materia subiecta, & circumstantiis satis significetur, sermonem esse de hac censura in tali modo, vel specie eius, & in tali indiuiduo. Atque eadem ratione, si interdictum feratur limitatum quoad effectus, vel tempus, in forma id exprimi necesse est: nam, si absolute feratur quantum ad hæc duo, & omnes effectus interdicti operabitur, & quantum est ex vi talis sententis, vel iuris, semper durat, donec auferatur: Quæ duo ita hic explicanda & probanda sunt, sicut similia de suspensione diximus: Et priorem partem in hac ipsa materia sæpe tetigimus: de posteriori autem dicemus infra agentes de interdicti relaxatione.

Supereff dicendum de altera parte proposita: scilicet de solennitate accidentali. In qua tria, prout in aliis fecimus, distinguimus nimirum quod antecedit: comitatur, vel subsequitur sententiam. Antecedens solennitas dici potest monitio, quæ præcedere debet, de qua sufficienter diximus tractando de censuris in comuni. Et resolutio est, quoties interdictum fertur per modum censuræ ad reprimendam contumaciam monitionem debere præcedere. Si autem aliquando feratur vt pura poena propter de-

lictum præteritum, tunc non esse necessariam monitionem. Quæ autem admonitio in priori casu accidentaliter sit, quæ vero substantialiter, eodem loco satis explicatum est. Solennitas concomitans dicitur illa, quæ in sententia ferenda seruanda est iuxta cap. i. de Sent. excomm. in 6. cuius decisio in hac etiam censura locum habet, & supra de censuris in comuni sufficienter tractata est. Et ad hanc partem reuocari possunt omnia, quæ spectant ad iudicium ordinem rite seruandum: quamuis inter ea nonnulla dici possint substantialia, quia ex eis valor sententiæ pendet: vel quia ita expressum in iure est, vel quia iurisdictio iudicis à tali circumstantia pendet, vt si sententiam ferat post legitimam appellationem interpositam. De quibus omnibus dicto loco satis dictum est. Solennitas subsequens dicitur denunciatio huius censuræ. De qua, propter dicta de censuris in comuni, in interdicto habet nonnullam difficultatem quomodo necessaria sit, vt liget, vel personam contra quam talis censura fertur, vel alias quam explicabimus commodius in fine sequentis Diput.

DISPUTATIO XXXVII.

De omnibus interdictis iure ipso latis.

RIVSQUAM de relaxatione interdicti dicamus, visum est singula interdicta quæ in iure lata inueniuntur, declarare, quoniam & disputatio hæc nonnullam connectionem habet cum præcedenti, & illa expedita (quod breuiter fieri potest) facilius omnium interdictorum relaxatio declarabitur. Exponemus ergo prius singula decreta hanc censuram imponentia, postea vero quomodo tale interdictum iure latum, ipso facto liget explicabimus.

SECTIO I.

Quæ, & quot interdicta ipso iure lata inueniuntur.

Voniam hæc censura rarius in iure fertur, quam superiores, ideo non oportebit per singulos libros, seu tomos iuris discurrere: sed solum per species interdicti personalis & localis, generalis & particularis: nam in singulis inueniuntur particulares casus, in quibus per iura feruntur.

Interdicta specialia personalia.

Primum interdictum in hac specie sumitur ex cap. i. de Sent. excomm. in sexto: vbi Ecclesiasticus iudex, qui in ferendis censuris non seruat formam ibi præscriptam, per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis suspenditur. In quo textu nonnulla breuiter sunt notanda. Primum est verbum illud, *Si quis iudicium huius constitutionis reuerentius violator existat*: nam iuxta illud necesse est, vt ex certa scientia, & directa voluntate, vel certe ex tanta negligentia, quæ illi moraliter æquiualeat, & non ex aliqua inaduertentia talis transgressio contingat: hoc enim requiritur, vt aliquis dicatur temerarius violator: quod in aliis censuris sæpe notauimus, & ex ibi dictis explicandum est. Secundum est, licet poena illa feratur per verbum suspendendi: tamen quatenus suspendit ab ingressu Ecclesiæ, non esse censuram suspensionis, sed interdicti: quia ex effectu, &

ctu & materia, necessario determinatur verbum ad hanc significationem, vt in superioribus notauimus. Verisimile tamen est quatenus ibi exprimitur suspensio à diuinis officiis, non tantum id intelligi in tra Ecclesiam, sed etiam extra illam, quia ad hoc videtur illa particula specialiter adiecta, alioqui nihil operaretur, & quia illa priuatio diuinorum officiorum non tantum actiue, sed etiam passiue intelligenda est: ideo illa non est suspensio, sed interdictum. Tertium est, quamuis illa pœna feratur in transgressores illius legis, atque adeo in contumaces contra monitionem in ipsa lege inclusam: nihilominus nō ferri proprie, vt recedatur à contumacia: sed in vindictam delicti: nam fertur per determinatum tempus, intra quod non est quis absoluendus ab interdicto quantumuis satisfaciatur, & penitentiam agat. Quartum est, hanc censuram non extendi ad Episcopos, quia eorum non fit expressa mentio iuxta regulam cap. *Quia periculo sum*, de Sententia excommunicationis in 6.

Secundo fertur similis censura in cap. *sacro*, de Sententia excommunicationis, vbi per mensem interdictum ab ingressu Ecclesie, qui excommunicationis sententiam profert in aliquem, nisi competenti admonitione premissa, & personis presentibus idoneis, per quas possit admonitio probari. Vbi etiam ponitur verbum illud, *Si contra presumperint*, quod æquiualeat alteri, *Si temerarius violator existat*: hic tamen non additur verbum illud, *Et diuinis officiis*: & ideo est pura interdictio ingressus Ecclesie, & consequenter diuinorum officiorum tantum in illa: expressiusque hic proponitur hæc pœna nomine interdicti. Quod in hoc etiam differt à præcedente, quia non extenditur ad alias censuras, seu ad iudices mittentes huiusmodi admonitionem in quibuscunque censuris ferendis, sed in sola excommunicatione: quia de illa solum loquitur textus ille, & extendendus non est. Qualis autem esse debeat illa admonitio, superius in proprio loco dictum est, & facile intelligi potest ex cap. *Constitutionem*, de Sent. excomm. in 6.

Tertio fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesie in cap. *Presenti*, de Offic. Ord. in 6. specialiter contra Episcopos, & eorum superiores, qui usurpant bona Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium, vel fructus eorum, ad ipsorum vtilitatem pertinentes, vel ad eos, qui in talibus beneficiis succedunt. Est autem hoc interdictum simpliciter ab ingressu Ecclesie, quousque restitutionem fecerint de prædictis. De quo textu, quia contra inferiores prælatos propria censura suspensionis in eo fertur, diximus inter explicandum suspensiones iuris: & ideo plura hic addere non est necesse.

Quarto fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesie contra omnes, quantumcunque exemptos, vel cuiuscunque ordinis, aut religionis existant, qui violant interdictum locale ab homine, vel à iure relatum, scienter celebrando, vel faciendo celebrare diuina in Ciuitatibus, Castris, Villis, seu locis aliis interdictis, nisi quatenus eis à iure conceditur. Atque etiam contra eos, qui excommunicatos publice vel interdictos ad diuina officia seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt. Ita habetur in cap. *Episcoporum*, de Priuilegiis in 6. circa quem textum supra Disp. 2. de hac materia, scilicet 3. cum Nauarr. Couarr. cap. Alma, p. 1. §. 6. num. 9. notauimus, non intelligi generaliter de omnibus personis Ecclesiasticis: sed specialiter de exemptis à iurisdictione ordinaria Episcoporum. Dubitari autem potest circa priorem partem, an in ea sit tantum sermo de interdicto locali generali, vel de quocunque. Nam iuxta quandam interpretationem in simili datam superiori Disp. ad Extrauag. *Prouide*, videntur illa verba restringenda ad interdictum generale. In contrarium autem est, quia illa verba, *Seu locis aliis interdictis*, vi-

dentur valde vniuersalia, & comprehendere quacunque loca, etiam particularia interdicta. Res quidem est dubia: nihilominus probabilis videtur, sermonem ibi tantum esse de interdicto generali loci, tum propter rationem tactam, quod verba optime ad hunc sensum limitantur, & cum sint pœnalis coarctanda sunt: tum etiam ex ratione, & motiuo legislatoris, quod in principio textus tangitur, scilicet, *propter abusum exemptorum non seruantium interdicta*, & querimonias Episcoporum inde ortas. Nam hæc ratio solum in interdictis generalibus locum habet vt constat ex ipso vsu, & ex Clem. 1. de Sent. excomm.

Circa posteriorem partem aduertendum est, quod prius ibi ferri hanc pœnam contra participantes cum publice excommunicatis, vel interdictis: non vero cum suspensis: quia de his ibi non fit mentio. Item illud publice, nunc intelligendum est iuxta Extrauagantem, *Ad euitanda*, vt ex superioribus constat. Non distinguitur autem de excommunicatis à iure, vel ab homine, & ideo omnes comprehenduntur, vt ibi expositores notant: quia nulla est ratio coarctandi absolute, & indefinita verbalis legis, quæ ex vniuersalia sunt, præsertim cum negationem includant. Excommunicatorum autem nomine intelligendi sunt ligati maiori excommunicatione, tum quia, iuxta interpretationem iuris, excommunicatio absolute sumpta pro maiori sumitur: tum etiam quia, quamuis ligatus minori excommunicatione teneatur abstinere à sacramentorum participatione, alii autem non tenentur ex vi censura illius vitare: ideoque, quamuis aliquis excommunicatus huiusmodi excommunicato, non violat censuram: & ideo neque hanc pœnam incurrit, etiam si fortasse alias peccare posset dando sanctum canibus, vel cooperando peccato alterius. Præterea hæc pœna non fertur contra omnes participantes in quibuscunque rebus, sed in tribus rebus facris: scilicet, diuinis officiis, sacramentis & Ecclesiastica sepultura, ac denique non de quacunque participatione in his est dem rebus, sed de illa, quæ specialiter significatur per verbum illud, *admittant*: nam hic actus specialiter videtur pertinere ad eos, ad quorum curam spectat prohibere, vel admittere aliquem ad huiusmodi actus. Vnde, si religiosus recipiat sacramentum à persona excommunicata alioqui celebrante, vel corpus eius ad sepulturam committeretur, non videtur hanc pœnam incurere, quia ipse proprie non admittit, quamuis cooperetur: secus vero est, si religiosus scienter ministrat sacramentum excommunicato denunciato, nam, qui ministrat vere admittit alium ad vsum sacramentorum.

Quinto fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesie contra Episcopum, & superiores prælatos, qui ob procuracionem sibi ratione visitationis debitam recipiunt aliquid contra constitutionem Innocentij IV. in cap. *Romana*, de Censibus in 2. ferturque hoc interdictum in cap. *Exigit*, eodem titulo, & libro: non tamen absolute, sed sub ea conditione, si intra mensem duplum eius, quod receperint, non restituerint. In Extrauaganti autem vnica de Censibus inter communes extenditur hæc conditio, seu tempus restitutionis huius ad duos menses. Et ibidem extenditur illud interdictum ad omnes de familia visitatoris, qui per se, vel alios aliquid recipiunt ab iis, qui visitandi sunt, præter id quod illis est iure concessum. Hæc vero iura à nobis superius sunt exposita cum de suspensionibus ageremus, quia ibi simul fertur pœna suspensionis in inferiores prælatos simile delictum committentes.

Sexto fertur sententia interdicti absolute, & sine restrictione vlla contra Ecclesiasticos iudices, qui officiales Romanæ curiæ, vel alios, qui eandem Curiam pro suis negotiis profecti sunt, priuant suis beneficiis Ecclesiasticis, & aliis ea cōferunt eademque

2. Tum qui excomm. non premissa competenti.

3. Contra Episcopos & superiores bona ecclesiarum, &c.

4. Contra violentes interdictum.

Nauarr. Couarr.

De quo in interdicto sit sermo in 1. part. textus.

que censura extenditur ad eos, qui ea recipiunt. Vbi solum aduerto, ibi non tantum ferri non censuram interdicti, sed etiam excommunicationis, & suspensionis: ideoque, licet censura illæ ferantur contra omnes *quacumque dignitate præfulgeant*, quia tamen generalibus verbis feruntur, ideo verisimiliter posset exponi cum distributione accommoda, ita ut excommunicatio comprehendat Episcopos, & superiores: non vero interdictum, quia hoc generaliter latum non comprehendit Episcopos, sicut nec suspensio. Item aduerto, ibi referuari Summo Pontifici absolutionem ab excommunicatione ibi lata; de suspensione vero, & interdicti nihil dici, ideoque non esse reservationem illam extendendam, cum odiosa sit. Cætera pertinentia ad illum textum videantur supra in materia de excommunicatione.

Septimo fertur interdictum in eum, qui Episcopatum, vel Abbatiam vel quamcunque inferiorem Ecclesiasticam dignitatem de manu laicæ persone suscepit. Ita habetur in cap. *Si quis deinceps*, 16. q. 7. Circa quod noto, illam pœnam non simpliciter ferri, sed sub ea conditione. *Quouique locum resipiscendo, non deseruerit*. Ex quo satis constat, interdictum illud latum esse, ut à contumacia recedatur. An vero tunc cesset ipso iure, vel necessaria sit absolutio, postea dicemus. Illud vero certum videtur, si quis talè dignitatem à laico acceptam, de facto non occupet, id est cathedram, seu possessionem non accipiat, nec munus exerceat, hoc interdictum non incurrit. Sed tunc primum illud incurrit quando locum occupat, quia tunc veluti cõsummat inobedientiã, & contumaciã propter quam illud interdictum, fertur. Secundo notanda sunt verba, quibus fertur illud interdictum, scilicet, *Gratiam Beati Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus*. Quæ aliqui ita interpretantur, ut ibi notat Glossa, *Interdicimus*, id est, *Interdicendum dicimus*. sed hæc non est interpretatio, sed corruptio textus: satis enim constat illam formam ferendi censuram continere censuram latam, & nõ tantum ferendam. Et ita sentit Syluester *Interdictum*, 4. circa finem. Obscurum vero est, quid sit inreddere gratiam Beati Petri: non videtur autem illa verba significare specialem effectum interdicti: sed solum indicare iustam indignationem Apostolicæ Sedis in huiusmodi delinquentes. Denique extenditur in eodem textu illud interdictum ad ipsos laicos, qui huiusmodi dignitates Ecclesiasticas consecrunt.

Octauo interdicatur Episcopus, vel Abbas, qui bona Ecclesiæ inconstituto Romano Pontifice, aut non seruata forma Extrauagantis *Ambrosio*, de Rebus Eccles. non alienand. alienauerit, ut in eadem Extrauag. habetur. Incertum autem est, an illa constitutio quoad pœnas recepta sit, de qua re supra diximus disp. 23. sect. 6. & de materia videri potest Nauarr. in commentario de Alienatione rerum Ecclesiasticarum.

Nonum interdictum fertur in Extrauagant. vnicæ. Ne Sede vacante aliquid innouetur, contra Episcopos, & Superiores, qui contra præscriptum illius decreti aliqua bona beneficiorum vacantium usurpant, si intra mensem ea cum effectu, non restituant his, ad quos pertinent. In qua solum sunt notanda illa verba, *A Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, nouerit se suspensum*. Nam prior pars continet veram censuram suspensionis, ratione cuius non potest Episcopus sic ligatus Pontificalia exercere etiam extra Ecclesiam, ut supra notauimus agentes de Suspensione. Posterior autem pars continet proprium interdictum, ut sæpe dictum est.

Decimum interdictum ab ingressu Ecclesiæ fertur contra omnes clericos in facris, qui in crimine fornicationis iacent, in cap. *Si quis sunt*, si. distinctio, de quo videantur dicta in simili de Suspensione, Fr. Suarez tom. 5.

Ac tandem Pius Quartus in Bulla confirmationis Concilij Tridentini, simile interdictum fert in Prælatos commentaria edentes in Concilium Tridentinum, de quo dictum est supra inter Excommunicationes.

Interdicta generalia personarum.

Primum huius ordinis interdictum asserri potest ex cap. 1. de Vfuris, in sexto. Vbi Collegia & Vniuersitates vfurarijs alienigenis habitationem concedentes interdicuntur. Sed textus ille in dispositionibus de excommunicatione expositus est. Secundum fertur in cap. vnico de Iniur. in sexto, contra Vniuersitates concedentes, vel extendentes repressalias contra clericos, aut ipsorum bona, intra mensem eas reuocauerint. In quo casu etiam fertur excommunicatio contra particulares personas, quam in proprio loco exposuimus, ubi omnia, quæ hic desiderari poterant, dicta sunt. Tertio fertur simile interdictum in Extrauaganti, *Saluator*, de Præbendis inter communes, contra Vniuersitates; quæ ex certa scientia præsumpserint resistere statuti ibi à Summo Pontifice circa diuisionem Episcopatus Tolosani. De qua, quia causa est valde particularis plura non dicimus, sicut etiam de Excommunicatione, & Suspensione ibi latis, in superioribus fecimus. Quarto fertur simile interdictum contra Capitulum, Vniuersitatem, vel Collegium, quod non obseruat constitutionem Ioannis X X I I. circa fructus vacantium beneficiorum in Extrauagant. vnicæ. Ne Sede vacante aliquid innotetur: eademque habetur in Extrauaganti, *Suscepti Regimini*, Ioannis X X I I. quæ eadem est, eamque supra etiam exposuimus tractando de Excommunicatione, & Suspensione. Quinto addi hic potest interdictum latum in cap. *Clericus*, de Immun. Eccles. in sexto contra Vniuersitates agentes contra decisionem illius textus. Verumtamen decretum illud reuocatum est per Clementinam 1. de Immunitat. Eccles. ut ibi notat Glossa, & supra etiam aduertimus agentes de Excommunicationibus Papæ reseruatis, & ideo nihil amplius de illo dicere necesse est.

Sexto asserri potest aliud interdictum ex Bulla Cœnæ Domini, ubi in clausula secunda, *Interdicuntur Vniuersitates, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, quæ ab ordinationibus sententiarum seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad futurum Concilium appellant*. De qua clausula videntur dicta supra in expositione Bullæ, eandem enim hic applicari debent: eademque reseruat in hoc interdictum cadit, quia reseruatio generaliter fit à prædictis sententiis. Quamquam excommunicatio, quæ postea fertur in eos, qui absoluunt contra tenorem illius Bullæ, non videatur comprehendere eum, qui absolutus ab hoc interdicto: quia limitatur ad eos, qui beneficium absolutionis impendunt talibus excommunicatione, vel anathemate illaqueatis, vel eorum alicui: de Vniuersitatis vero interdicto nihil dicit. Septimum interdictum sumitur ex concilio Tridentino sess. 7. cap. 10. ubi Capitulis Ecclesiarum præcipitur, ne Sede vacante infra annum à die vacationis literas dimissorias ad ordines recipiendos, alicui, qui beneficium ecclesiasticum recepit, vel recipiendi occasione actus non fuerit, concedat. Et subditur, *Si secus fiat Capitulum interueniens ecclesiastico subiaceat interdicto*.

Octauum asserri potest ex cap. *Quamquam*, de Censib. in 6. Quod fert excommunicationem supra tractatam contra exigentes tributa ab Ecclesiasticis personis. Et subdit, *Si autem Collegium, vel Vniuersitas ciuitatis, castri seu loci alterius cuiuscunque (supple hoc fecerit) ipsa ciuitas, castrum, vel locus interdicti sententiam ipso facto incurrant*. Dixit autem Calderinus hanc pœnam non esse consuetudine receptam. Syluester

Ddd vero

vero Interdictum, 4. cum archidiacono dicit esse communem sententiam: imo ait oppositam consuetudinem non potuisse introduci, utpote contrariam ecclesiasticae immunitati, & in illo textu reprobata. Sed licet sit hoc verum de consuetudine exigendi tributa, tamen de derogante poenam non ita est. Itaque de potestate non dubito, de facto mihi constat: consulari ergo consuetudo, & videantur dicta de illo textu inter excommunicationem.

15
Interdictum
locale gene-
rale latum
in universi-
tatem ob
etiam crimen
an sit etiam
personale,
Syluest.
Nauarr.

Ultimo addunt aliqui, vbiunque in iure (& eadem ratio est ab homine) fertur interdictum locale generale propter crimen Vniuersitatis, ferri etiam interdictum generale personale in ipsam Vniuersitatem. Ita Syluester Interdictum, 4. quaest. 2. qui nullam probationem adducit; nec Nauarrus, qui eandem sententiam sequitur c. 27. num. 169. Videntur autem fundari in hoc, quod interdictum locale habet vim, & efficaciam personalis respectu eius, propter cuius crimen fertur, seu qui causam dedit interdicto. Quod supra à nobis probatum est: ergo, si tota Vniuersitas dedit causam interdicto locali, ipsa etiam personaliter interdicatur. Quae ratio, si efficax est, etiam procedit de interdicto locali particulari, si propter delictum, populi feratur. Dicti autem auctores videntur specialiter locuti de interdicto generali, quia propter crimen totius populi non solet tantum particularis locus interdicti. Vnde esse constitutum differentiam inter hoc locale interdictum latum ob delictum domini, vel ob delictum Vniuersitatis: quia illud prius non habet vim generalis personalis respectu populi, nisi exprimat. Quod expresse habetur in cap. Si sententia, de Sententia excommunicationis, in sexto. Et ratio est, quia tunc populus non dedit causam interdicto, sed solus dominus: & ideo solus ille ex vi illius censurae personaliter interdicatur. Secus vero est, quando populus ipse dedit causam tali interdicto.

16
Interdictum
locale gene-
rale loci ob
delictum
communitatis,
est etiam
personale
particulare.

Conarr.

Atque haec sententia sic declarata, & probata verisimilis est. Quia vero contingit, quamuis populus deliquerit, & dederit causam interdicto, plures de tali populo esse innocentes in tali delicto, ideo adendum videtur, per tale interdictum generale loci non interdicti personaliter omnes de tali populo, sed eos tantum, qui causam interdicto dederunt: Atque ideo interdictum personale ibi virtute inclusum non tam esse generale, quam particulare multiplicatum, seu extensum ad omnes personas, quae causam dederunt interdicto. Ratio, quae me mouet, est, quia interdictum illud non fertur directe in ipsum populum, sed in locum eius: ergo ex vi, & forma interdicti non extenditur ad ipsas personas, iuxta dict. cap. Si sententia: extensio autem virtualis solum est ad eos, qui culpabiles extiterunt, ut ex eod. cap. Si sententia, constat: ergo non est extendenda ad innocentes. Nec vero satis est, quod tale delictum dicatur esse totius populi, seu communitatis: nam illud solum est secundum quandam moralem attributionem; sub qua ratione directe, & ex intentione legis, vel iudicis per locale interdictum generale ut sit, & non per personale punitur: re tamen vera delictum non est executioni mandatum à toto populo secundum totum, ut sic dicam, sed tantum per aliqua membra sua: ergo solum illi, qui re vera culpabiles existunt, manent specialiter interdicti personaliter ex vi talis interdicti.

Interdicta generalia localia.

17
Interdictum
locale generale
loci contra
hostiliter in-
sequentes
Cardinales.

Nonnulla etiam ex his inveniuntur ipso iure lata. Et primum sumi potest ex capitulo Felices de Pœnis, in sexto. Quod editum est contra eos, qui Cardinales Ecclesiae Romanae hostiliter insequuntur: contra quos grauis censura excommunicationis cum aliis grauissimis pœnis feruntur, & in fine extenditur excommunicatio ad Principes, Guber-

A natores, &c. officiales eorum, qui contra praedictos malefactores praedictam constitutionem non fecerint obseruare. Tandemque subiungitur, Ciuitas vero quauis alia, praeter Urbem, quae talia faciens, vel facientibus, seu praesumentibus in his consilium, vel auxilium dederit, aut fauorem: vel intra mensem saltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit) non duxerit puniendos Pontificali & supra sit eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta. De cuius textus materia dictum est inter explicandas excommunicationes, propter eas, quae in illo feruntur.

Vnde hic solum potest inquiri, an hoc interdictum extendatur ad Prouinciam, vel totum alicuius Reipublicae terminum, si ipsa Reipublica tale delictum commiserit. Ad quod breuiter dicendum est, censuram non esse ultra verba legis extendendam, ideoque si Senatus talis Reipublicae in illud delictum conspirauerit proxime, & immediate solam ciuitatem, in qua talis Senatus residet, manere interdictam ex vi huius legis. Quod si aliae ciuitates tali Reipublicae subiectae, vel non subiectae communi etiam consensu ei auxilium dederint, singulae quidem ciuitates manebunt interdictae, non tamen absolute tota, puincia, vel vniuersi populi eius: quare, textus solum de ciuitate loquitur. Imo si villa, vel inferior populus simile delictum commiserit, locus eius non manebit subiectus tali interdicto, quia solum est latum contra ciuitates, non vero contra inferiores populos, & argumentum à similitudine rationis in hac materia non est efficax; praesertim cum difficile non sit, specialem rationem in ciuitate inuenire: nam inferiores populi, & raro audebunt per se tale crimen aggredi, & facilius possunt aliis modis coerceri.

Secundo fertur simile interdictum in Clementina 1. de Pœnis. Quae edita est contra eos, qui personam cuiuscunque Pontificis corporali iniuria afficere audent, in quos fertur anathema. Et subditur, Terra quoque ipsius (dum tamen ultra vnam diocesim non contineat) vbi, ad condignam satisfactionem eius sit: nec non locus, aut loco, in quibus captus Episcopus detinebitur, quoad detentio ipsa in eisdem durauerit, ecclesiastico subiacent interdicto. De quo decreto videri possunt dicta in materia de Excommunicatione. Nunc solum circa priorem partem horum verborum aduertendum est, in eis supponitur, qui sic deliquit in personam Episcopi, esse dominum, vel Rectorem illius terrae; hanc enim vim habent illa verba terra ipsius: vnde, si priuata persona alicuius terrae huiusmodi committat crimen, non propterea terra ipsa subiacet interdicto. Quia vero ibi additur limitatio, dummodo terra ultra vnam diocesim id est Episcopatum non contineat; constat in primis totam diocesim interdicti, si tota illius sit, sin minus, illam solum partem, quae illius fuerit; quia solum interdicatur terra ipsius, Quod, si sub domino suo plures dioceses complectatur, subditur inferius, manere interdictam diocesim, in qua talis dominus suum principale domicilium habet, & praeterea illam, in qua fuerit delictum commissum, & si sua fuerit, & duas alias, quae sub ipso sint eidem loco viciniore. Circa alteram vero partem aduertendum est, interdictum illud esse deambulatorium, quod supra diximus esse locale vnius, vel plurium locorum successiue; & ideo ibi fortasse dictum est locus, aut loca: non enim potest Episcopus simul detineri captus in multis locis; successiue autem potest, & ille locus, quo denuo transfertur, denuo interdictus manet. Nomine autem loci, nec diocesis hic intelligitur, nec sola domus, v.g. in qua detinetur: quia illa nimis ampla, haec nimis restricta significatio est: sed intelligitur populus ille, in quo Episcopus detinetur, haec enim est vltima illius vocis significatio.

Vtcrius in eodem textu vertit. Ciuitas, additur inter-

3. Contra interdictum, quod possumus hic tertio loco ponere: nam ciuitas, que hoc crimen in suum Episcopum commiserit, simili interdicto subijcitur; ubi proprietates illius vocis Ciuitas, expendenda est, & seruanda eodem modo, quo in primo casu adnotauimus. Deinde aduertenda est differentia inter hoc interdictum, & proxime declaratum: nam illud fertur propter delictum domini, de quo procedit decisio textus in cap. Si sententia, de Sententia excommunicationis, in 6. hoc vero est propter delictum communis, ad quod applicanda sunt dicta in fine præcedentis puncti.

Quarto fertur huiusmodi interdictum in cap. Vbi periculum, de Electione, in 6. ubi præscribitur modus, quo Summi Pontificis electio facienda est in aliqua ciuitate, in qua cum sua Curia residebat; & infra in §. Præterea, Dominis, Rectoribus, & aliis officialibus talis ciuitatis præcipitur, vt ea omnia, quæ ibi præscribuntur, faciant obseruari; & grauisimæ censuræ in eos feruntur, qui contra hoc delinquant, & postea subiungitur, Ciuitas vero prædicta non solum sit interdictio supposita, sed & Pontificali dignitate priuata. Quod interdictum non fertur proprie propter delictum ciuitatis, sed propter delictum domini, vel Rectoris, aut officialium, ad quos scilicet pertinet ciuitatis regimen, eorum nimirum, qui excommunicationem incurrunt. De quibus dictum est supra in materia de Excommunicatione, & ideo hic plura addere non est necesse.

Quinto fertur simile interdictum in Extrauag. Super gentes, de Consuetudine, inter communes. Quæ lata est contra eos, qui prætextu cuiusdam consuetudinis Legatos Pontificis terras aliquas ingredi non permittunt, in quos fertur inprimis excommunicationis sententia: deinde Regna, terras, & loca quælibet subiecta eidem Ecclesiastico supponuntur interdicto, quamdiu in huiusmodi contumacia duxerint persistendum. Vbi nihil addendum occurrit his, quæ in materia de Excom. de hoc textu dicta sunt.

Sexto fertur simile interdictum in c. 1. de Vfuris, in 6. in quo præcipitur, vt nullus admittat vfurarios alienigenas ad habitandum, & exercendum vfuras in terris suis: & in eo, qui contrarium faciunt, censuræ excommunicationis, suspensionis & interdicti respectiue feruntur. Quæ supra in locis suis explicata sunt, postea vero subditur, Quam (scilicet censuram) si per menssem animo sustinuerint indurato, terre ipsorum, quamdiu in eis idem vfurarii commorantur, ex tunc Ecclesiastico subiacent interdicto. Vbi solum aduertere oportet, hoc interdictum tantum ferri, quædo personæ, ita contumaces ecclesiasticæ sunt, vt satis in textu ipso declaratur. Non vero durat tale interdictum quamdiu contumacia durat, sed quædiu vfurarii in terra permanent.

Interdicta localia particularia.

Primo enumerari hic possunt nonnulla ex interdictis localibus, quæ inter generalia posuimus, quatenus indifferenter feruntur in quocunque loco ubi hoc, vel illud accideret: Nam, si contingat talem locum esse particularem, interdictum ipsum etiam erit particulare. Exemplum est in casu Clementinæ 1. de Penis, ubi interdictitur locus, in quo Episcopus per vim, & iniuriam captus detinetur: nam, si contingat talem locum esse castrum, vel Ecclesiam ab omni populo remotam, interdictum illud erit particulare.

Secundo huc spectat casus cap. 1. de Sepulturis, in 6. Vbi religiosi, & alij clerici grauisime prohibentur, ne aliquos inducant ad iurandum vel promittendum eligere sepulturam in suis Ecclesiis, vel non mutare electionem factam: alioqui si secus actum fuerit, ij, qui sic elegerint prohibentur in talibus Ecclesiis sepeliri. Quod si nihilominus religiosi, vel

Fr. Suarez tom. 5.

clerici eos sepeliant, ad restituenda corpora, si petatur, & ad restituenda omnia emolumenta, quæ inde ad eos peruenerunt, intra decem dies obligantur. Et additur, Quam, (scilicet restitutionem) nisi fecerint Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & cæmetæria earundem ex tunc ipso sint, & tamdiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Circa quem textum dubitari potest, an illa obligatio restituendi intelligenda sit ante, vel post iudicis condemnationem: nam, cum sit poena quædam, non videtur antea obligare. Nihilominus dicendum est, statim obligare sine alia sententia, etiam declaratoria criminis, cum quia de corpore restituendo dicitur, Si petatur: de aliis vero emolumentis hoc non dicitur, sed simpliciter imponitur obligatio: ergo signum est, absolute & sine conditione imponi: Tum etiam, quia definitur tempus decem dierum, quod ex omnium sententia à die talis sepulture computandum est. Denique verba ipsa, scilicet, ipsos obligatos esse censemus, facis significant, hanc legem per se talem imponere obligationem. Quod in huiusmodi poenis facile fieri potest, vel irritando pacta, aut deuotiones, & impediendo dominij translationem, vel certe simpliciter præcipiendo illam ligationem.

Sed quid, si vnus, vel alter clericus non restituat partem suam? nūquid oriatur interdictum, etiam si alij restituant? Videtur enim nimis graue, quod propter vnus culpā priuatam Ecclesiæ interdicto supponatur. In contrarium vero est, quia lex illa requirit restitutionem integralter faciendam. Et rursum, si restitutio plenaria omnium. Quapropter, si, quod omittitur, sit aliquid graue, ita vt ad peccatum mortale sufficiat, ex iustitia id sufficere, vt interdictum infurgat: quia verba textus sunt satis expressa, & culpa grauis sufficit ad hanc poenam, etiam si particularis personæ sit, quia etiam interdictum est particulare. Præsertim, quia talis culpa non est omnino priuata: quia crimen fuit religiosorum omnium, vel clericorum, qui ad sepulturam concurrerunt, præsertim eius ad quem Ecclesiæ cura pertinebat: & ideo ad eos etiam spectat curare, vt restitutio integrè fiat. Et ideo cumulus partis grauis omisio communis delictum talium personarum, vel Rectoris Ecclesiæ reputatur. Existimo tamen, si vnus religiosus, vel clericus priuatim committat delictum inducendum ad talem promissionem, vel iuramentum, & postea clerici, vel religiosi hoc ignorantes eum sepeliant, & non restituant, non incurrere interdictum: quia bona fide sepelierunt, textus autem dicit, Si eis corpus præsumperint sepelire.

Vltimo numerant hoc loco Syluester, & alij summa casus, in quibus Ecclesiæ polluitur per effusionem sanguinis, vel seminis; Sed immerito impeditur hoc numerant inter interdicta: est enim alterius rationis longe diuersæ. Vnde & diuersum modum reconciliationis requirit. De quo in 3. tomo dictum est. Addit etiam Armilla verb. Interdictum, num. 22. alios casus. Vnus est, quando Ecclesiæ est per simoniam consecrata ex cap. Ecclesiæ, 1. quæ est, cuius verba sunt, Ecclesiæ, quæ pactione consecrata fuerit, potius exsecrata, quam consecrata dici debet. Quæ verba, si quid probant, potius est illam Ecclesiam non manere consecratam, quam manere interdictam: certum est tamen manere consecratam, si forma Ecclesiæ seruata fuit, vt ex dictis in 3. tomo constat, quare non credo manere interdictam: quia neque illo, neque alio iure hoc satis expressum est. Vnde illa verba dicta videntur per exaggerationem in odium criminis simoniæ, vt ibi Gratianus, & Glossa interpretantur. Alius casus huic similis est, si Ecclesiæ non pro deuotione fidei, sed pro quaestu cupiditatis fuit edificata ex cap. Si quis basilicam, de Consecrat. distin. 1. Sed ibi solum dicitur, vt nullus Episcopus

An obligatio huius restitutiois nascatur, ante iudicis sententiam?

Quid si vnus aut alter clericus partem restituit, quæ sibi obuenit?

Non incurritur interdictum si bona fide sepeliamus præsumpti de fidei corpore.

Syluester. Per effusionem sanguinis vel seminis non incurritur interdictum Ecclesiæ.

Armilla. Ecclesiæ pro simonia consecrata, non est interdicta. C. Ecclesiæ, 1. q. 4.

Gratianus. Glossa. Ecclesiæ pro quaestu cupiditatis adia-

ficat a non
est interdi-
cta.

C. Si quis
baptisam,
de consecr.
dist. 6.

Excludun-
tur quatuor
alios casus in-
ris in quib.
videri pote-
rat ferri in-
terdictum, i.
Ex c. Præce-
ptis, de Con-
secrat. dist. 1.

2. ex c. Pla-
cis de Con-
secrat. dist. 1.

reiciuntur.

28
3. casus ex c.
2. Et 2. de
iure patron
excluditur.

A. casus ex
ca. Quicunq.
de Hæreti-
cis, in c. im-
probatur.

scopus talem Ecclesiam audeat consecrare, per quæ verba nullum interdictum ipso iure fertur. Similis casus est, quem adducit ex cap. Præceptis, de Consecrat. dist. 1. de Ecclesia, quæ sine auctoritate Pontificis, seu Episcopi dedicata est, sed ibi etiam non fertur interdictum ipso iure, sed approbatur factum cuiusdam Episcopi, qui Missas fieri prohibuerat in tali Ecclesia. Imo, si talis Ecclesia legitime non sit dedicata, ex generali prohibitione Ecclesiæ, non licet in ea facere sacrificium: tamen illa neque est censura, nec poena, sed est generalis prohibitio, seu loci inhabilitas. Vnde, qui in tali Ecclesia Missam dixerit, licet alias grauius peccet, non violat censuram, nec irregularitatem incurrit. Neque est dissimilis casus in cap. Placuit, de Consecrat. dist. 1. Vbi prohibetur quidem erigi altaria, tanquam memoriæ Martyrum, in quibus nullæ reliquæ Martyrum conditæ probantur. Et postulat, ut talia monumenta non permittantur, nisi ubi reliquæ certè sunt, aut ubi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Hæc enim prohibitio merito facta est ad tollendam omnem superstitionem: de interdicto vero ibi nulla est mentio.

Afferit præterea cap. 1. & 2. de iure patronatus. Sed ibi etiam non fertur interdictum ipso iure: solum enim statuitur, ut si diuisiones in surgat inter patronos, ita ut presbyteri non possint conuenienter diuina officia celebrare, Episcopus eas ibi facere prohibeat, & si opus fuerit, reliquias tollat, & ostia claudat. Quod totum in primis non est censura, imo nec poena, sed quædam iusta prohibitio propter decentiam loci sacri, & diuinorum officiorum: & deinde, licet esset interdictum non esset à iure, sed ab homine ferendum. Vltimus casus, quem adducit, est ex cap. Quicunque, de Hæreticis, in 6, qui est de loco sacro, in quo corpus hæretici sepelitur, sed ibi non dicitur ut talis locus simpliciter interdictus maneat, sed solum, ut perpetua careat sepultura. Quæ verba simul cum excommunicatione ibi lata exposuimus supra agentes de Excommunicatione: & ideo de his interdictis à iure hæc sufficiunt.

SECTIO II.

Utrum interdictum iure latum obliget ante iudicis denunciationem.

Hoc dubium tractari potest, vel ex iuris antiqui ante Extrauagantem, Ad euitanda, vel post illam: nam de priori tempore omnes videntur supponere tale interdictum statim ligare omnes ipso facto, quia hæc est vis Legis censuræ latæ ipso iure. At vero post dictam Extrauag. censentur talia interdicta non obligare vsque ad denunciationem, Ita Maiolus lib. 3. de Irregular. c. 20. in fine, Armilla verb. Interdictum, num. 21. & alij. Quæ doctrina ita in genere sumpta vera est, indiget tamen aliqua declaratione, & distinctione.

Primo ergo dicendum est, si interdictum, iure latum sit particulare personale, illud statim ligare personam, in quam fertur, alios vero non teneri ad vitandum illam, donec denunciatur. Hoc manifestum est ex dictis de Censuris in communi: nam illa constitutio non contulit fauorem ipsis delinquentibus, sed aliis, qui cum eis communicare possunt: ergo non impedit quominus ipsos contumaces iura ligent quantum intendunt, & verba eorum præ se ferunt: tenentur ergo ipsi interdicti abstinere quantum in ipsis est; aliis vero conceditur privilegium, ut non teneantur eos tractare tanquam interdictos.

Secundo idem videtur dicendum de personis interdictis à iure per interdictum generale. Et qui-

dem, quod alij non teneantur eos vitare, donec denunciati sint, res est clara. Quæri vero potest, an ea porteat singulas personas nominatim esse denunciatas, an sufficiat ipsum interdictum esse denunciatum contra talem communis, vel Collegium, &c. Nam verba Extrauagantis videntur prioris modum denunciationis exigere, & cum materia fauorabilis sit, videntur illa verba restringenda, ut fauor sit maior. In contrarium vero est, quia hoc modo fere est impossibile denunciatio; & ita hoc interdictum redderetur inutile respectu aliorum. Item, quia in interdicto locali generalis non requiritur expressa denunciatio singularium partium loci. Hoc ergo posterius videtur probabilius, nimirum & requiri, & sufficere, ut illa communis, quæ interdictum contraxit, nominatim, & in particulari denunciatur, dummodo postea euidenter constet hanc personam esse membrum illius communis.

Ex parte vero ipsarum personarum, quæ interdicuntur, dubitari etiam potest: an possint expectare saltem denunciationem similem ipsius interdicti, ut se ligatas, & interdictas agnoscent. In quo certum mihi videtur per Extrauagantem, Ad euitanda, hoc eis concessum non esse: quia constitutio illa nullum privilegium concedit eis, qui ligantur, siue ob propriam culpam, siue ob alienam ligentur. Tamen ex iure antiquo, & veluti ex natura rei hoc dubitari potest: quia, cum hoc interdictum in totam aliquam communem feratur, videtur necessaria publica quædam notitia, quæ ad totam illam communem de se possit peruenire, ut illam ligare possit, quæ notitia non nisi per publicam denunciationem datur. Dico tamen non videri necessariam simpliciter talem denunciationem: quia licet publica notitia necessaria sit, ut arguendum probat: tamen hæc haberi potest per euidentiam facti de se publicam, & communitati notam, quæ sufficit, cum iura plus non requirant, nec ratio aliqua cogat. Ex his vero infero, si delictum, seu factum, propter quod interdictum iure latum est, sit occultum, nondum populum esse interdictum: quia nondum factum illud est sufficienter promulgatum, ut interdictum infir- gat. Quocirca etiam si aliquis, vel aliqui de illa communitate delictum secrete nouerint, non propterea interdicti sunt, neque ipsi pro talibus se gerere tenentur: quia ipsi non ligantur per se, sed ut membra communitatis: ergo donec interdictum liget, & impositum sit respectu communitatis, non ligat huiusmodi singulares personas. Quod quidem posset habere nonnullam dubitationem respectu illius personæ, quæ in particulari delinquit, & dæc causam interdicti: quia respectu illius tale interdictum habet vim interdicti specialis, ut supra dictum est. Nihilominus tamen etiam respectu illius hoc censetur verum, quia formaliter illa persona etiam non ligatur nisi per interdictum generale ut sic, & ideo donec illud teneat in ordine ad suum primum obiectum, ut sic dicam, quod est communitas, neminem in particulari ligat, quia nondum in se subsistit, seu factum est.

Tertio ex dictis constat quid dicendum sit de interdicto locali, tam generali, quam speciali respectu. Nunc enim post Extrauag. Ad euitanda, tale interdictum nullum esse donec denunciatur: quia nullus hominum tenetur sese abstinere à tali loco quoad diuina ante sufficientem denunciationem, ut constat ex citata constitutione, & ex omnium sententia. Tota autem ratio huius interdicti consistit in separandis fidelibus à tali loco quoad diuina: nam locus ipse non potest sese separare, & abstinere. In quo differt hoc interdictum à personali. Necesse est item denunciationem fieri illius loci in particulari, & nominatim, qui ad equare interdictum, ut ex eadem Extrauagant. constat. Dico autem, adequatè, quia

Maiol.
Armilla.

3. Conclus.

3. Conclus.

quia sufficit vt vno nomine collectiuo, vel quasi collectiuo totus locus comprehendatur, vt singula Ecclesie, vel partes interdictae maneat, vt per se notum est; & ex vsu satis constat. An vero ante dicta Extrauag. requireretur hæc denunciatio; idem dicendum censetur, quod de interdicto generali, scilicet, absolute non fuisse necessariam: publicam vero notitiam delicti seu facti proportionatam interdicto semper fuisse requisitam propter eandem rationem, quæ hic applicari potest, cum aliis: per quas in tertio tomo ostendimus Ecclesiam non polli per delictum, vel factum occultum: est enim hie eadem proportionalis ratio.

DISPUTATIO XXXVIII.

De Relaxatione interdicti.

MNIA, quæ ad hanc disputationem pertinent, ad duo capita reuocari possunt. Primum est quædo, & quomodo necessaria sit hæc relaxatio, vt interdictum auferatur. Secundum est, quando illa est necessaria, quomodo, & à quo fieri debet.

SECTIO I.

Verum necessaria semper sit relaxatio, vel absolutio interdicti, vt illud cesset.

Nonnullum interdictum feritur, vt per se notum est. Vponimus in hac quæstione, interdictum non esse perpetuum, sed auferri posse seu cessare: inquirimus autem modum. Illud autem suppositum certissimum est, constatque satis ex vsu Ecclesie. Et ratio reddi potest, quia cum hæc censura sit spiritalis poena priuans nonnullis bonis pertinentibus ad spirituale commodum animarum, non expedit esse perpetuam, alioquin magis esset in destructionem, quam in utilitatem. Item, quia vt interdictum feritur per modum censuræ, vt recedatur à contumacia, & tunc ex generali ratione censuræ constat non posse esse perpetuam; vel feritur solum vt poena pro delicto commissio, & tunc vel feritur pro definito tempore, & sic constat non esse perpetuum, neque ultra illud tempus extendi: vel feritur indefinitè, & sine temporis limitatione: & hoc modo nunquam vt existimo, inuenietur in iure latum, nisi adiecta aliqua conditione, scilicet donec restituat, vel satisfaciatur, vel alia simili: per quam satis ostenditur, interdictum non ferri, vt perpetuo duret, sed vt tollatur impleta illa conditione: imò hoc ipso quod talis conditio ponitur, est signum, tale interdictum non tam esse positum in pœnam, quàm vt à contumacia recedatur. Quod si talis conditio expresse non apponeretur; vel in interdicto lato à iure, vel ab homine, virtute seu implicite esset subintelligenda, si causa interdicti est capax illius, id est, si habet, vt aiunt, tractum successuum, seu (quod idem est) si semper pendet in futurum; vt contingit, quando interdictum feritur; vt aliquid restitatur, vel vt cesset vis illata Ecclesie, vel aliquid simile; si vero causa interdicti sit actio iam omnino præterita, saltim habebit subintellectam hanc conditionem, donec auferatur ab habente potestatem: quia nunquam feritur, nec ferri potest ea intentione, vt perpetuo duret.

Atque ex his intelligere licet, quid certum sit, quid ve dubium in quæstione propolita. Nam primo certum est, si contingat interdictum ferri pro delicto pure præterito absque vlla adiecta conditione, quæ pendeat ex voluntate eius, qui interdictum, &

Fr. Suarez tom. 5.

absque temporis limitatione: tunc tale interdictum auferri non posse, nisi per relaxationem superioris habentis potestatem. Probatur, quia tale interdictum est pura poena, & non est limitata ad certum tempus: ergo de se est indefinita, seu perpetua negatiue, id est de se non habens certum tempus: ergo non est vnde possit finire, aut tolli, nisi ex voluntate Superioris. Vnde non inuoluit aliam conditionem nisi illam, donec auferatur, vel vsque ad beneplacitum ferentis; sicut de suspensione in simili forma lata dicebamus. Hic autem modus interdicti ita simpliciter lati ob præteritum actum, nec à iure, neq; ab homine solet ferri, quantum mihi ex vsu, & ex experientia constat. Vnde propter hunc solum interdicti modum parum necessaria erit interdicti absolutio, seu relaxatio.

Secundo certum est, quando interdictum feritur vt pura poena pro peccato præterito, & pro tempore definito, vt feritur interdictum ab ingressu Ecclesie per mensem: tunc non est necessaria interdicti absolutio elapso illo tempore, sed ipso facto cessabit, sicut in simili diximus de suspensione. Est enim eadem ratio, arque ita idem in vtroque casu docent Doctores ibi citati, & Syluester verbo *Interdictum*, §. q. 9. & alij statim referendi. Et probatur, quia lex, aut sententia non plus operatur, quam verba eius significant: ergo verba limitantur ad certum tempus; pro illo interdicunt, & non pro vltiori tempore: ergo illo elapso, pro futuro tempore non erit necessaria absolutio. Quia vbi non est interdictum neque, absolutio necessaria est: pro illo autem vltiori tempore non fuit interdictum latum: ergo neque absolutio pro illo necessaria erit. Vnde aperte constat, aliter sentiendum esse, si agatur de ablatione talis interdicti ante elapsum illud tempus, pro quo latum est: sic enim auferri non potest absque relaxatione habentis potestatem; ob contrariam rationem: quia pro toto illo tempore lex, seu sententia operatur, cum verba eius id præ se ferant, & efficacia sint: ergo vt impediatur, seu tollatur talis effectus, necessaria est contraria voluntas habentis potestatem quæ tale interdictum relaxet.

Difficultas vero superest, quando interdictum feritur, vt recedatur à contumacia, vel sub hac conditione tacita, vel expressa, donec satisfaciatur, vel restituat, &c. an tunc necessaria sit absolutio, vel relaxatio interdicti. Multi enim censent non esse necessariam: nam si conditio non est impleta, interdictum non est tollendum, imò nec relaxari potest, cum duret contumacia, nisi forte per absolutam voluntatem eius, qui possit reuocare sententiam, aut in lege dispensare: si autem conditio est impleta, ipso facto cessat interdictum: quia ille terminus positus est in ipsa lege: ergo ultra illum non operatur, sicut dictum est, quando lex certam temporis durationem præscribit. Nam perinde esse videtur limitare durationem censuræ per expressum terminum temporis, vel per quàmcumque aliam æquiualentem conditionem. Atque ita sentiunt Glossæ fere in omnibus iuribus citatis disputatione præcedenti, sect. i. nam vbi cumque iura ferunt interdictum cum illa, vel simili determinatione, donec satisfeceris, ait Glossa, impleta conditione interdictum esse sublatum absque alia relaxatione: & idem sentiunt ibi communiter interpretes, & specialiter Abbas in cap. Non est vobis de Sponsalibus, & in cap. vltimo de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie, & tenet Syluest. *Interdictum*, §. q. 9. Couarr. in cap. Alma, part. 1. §. ii. n. 8. cum aliis supra relatis in simili quæstione de suspensione.

Hæc vero sententia quantumcumque probabilis sit propter Doctorum auctoritatem, nobis probari non potest. Nam in vniuersum censemus, nullam propriam censuram auferri, nisi per absolutio-

Ddd 3

nisi per relaxationem vel absolutio-

tionem. Prima conclusio.

Interdictum latum pro tempore definito, cessat eo tempore elapso. Secunda conclusio. Syluest.

Antea vero non nisi per relaxationem.

An interdictum sub conditione latum, ipso impleta per se auferatur. Prima sententia.

Gloss.

Abb.

Syluest.

Vera sententia.

bet.